

rum factorumq; præscripsit normam; OMNIA IN NOMINE IESV ESSE INCHOANDA: eam, vt vniuersis Christianitatis Professoribus, ita & mihi, cùm alibi, tùm vel in hoc cumprimis poëmatio adornando obseruandam existimo. Si enim gentilium Poëtarum Sireno-Phoenix Maro, pastoralis Musæ principium, à fictio Iouis sui nomine, vt huius numine plena essent omnia, deducendum arbitratus est? Quantò rectiùs ad IESV CHRISTI Seruatoris nostri Optimi Maximi, nomen amabilissimum, actiones nostras Christiani feliciter auspiciaturi decurrerimus? Cum sub cœlo hominibus nomen non sit datum, in quo eos oporteat fieri saluos, præter vnicum IESV CHRISTI, *Actor.* 4. Vnde & B. Ambrosius de augustissimi nominis huius omine, inter alia multa, sic ait: OMNIA IESVS NOBIS EST, si volumus. Curari desideras? Medicus est. Si febribus æstuas? Fons est. Si grauaris iniquitate? Iustitia est. Si auxilio indiges? Virtus est. Si mortem times? Vita est. Si ire desideras? Via est. Si tenebras fugis? Lux est. Si cibum appetis? Alimentum est. Gustate igitur & videte, quam suavis est Dominus? Quis igitur aliunde quàm ab hoc nomine, telam actionum suarum velit auspiciari? Maximè, cùm Seruator ipse apud Iohannem cap. 14. profiteatur: *Ego sum via, veritas & vita.* Quod B. Augustinus Tract. 22. in Iohan. ita efferre voluit:

*Erra.*